QUAESTIO
MEDICA

-

STEPHANUS BERTIER

-

1717

QUÆSTIO
MEDICA
AQUIS [illegible]
PROPOSITA
A D.D. AC NOB. D. DOMINO
JOANNE BAPTISTA
GASTALDY,
REGIS CHRISTIANISSIMI [illegible]
[illegible]
SUB HAC VERBORUM SERIE
[illegible]
QUAM PRO [illegible]
[illegible]
PRO DOCTORATU.
AVENIONE,
Apud [illegible]
[illegible]

QUÆSTIO MEDICA.

EAQUE THERAPEUTICA,

PROPOSITA

AB ILL. AC NOB. D. DOMINO

JOANNE-BAPTISTA GASTALDY,

REGIS CHRISTIANISSIMI CONSILIARIO & Medico ordinario, Doctore Aggregato, ex Regente ordinario, seu Professore Primario & Botanico.

SUB HAC VERBORUM SERIE

An variolarum una sit eademque natura, & una eademque debeat esse curatio.

QUAM PRO ALTERO EX PUNCTIS sibi assignatis, Deo-duce & auspice Dei-parâ tueri conabitur D. Stephanus BERTIER, Aquensis, Medicinæ Licentiatus in magna Cancellariæ Aulâ Palatii Archiepiscopalis. Die Martii 1717 a secunda ad Vesperam.

PRO DOCTORATU.

AVENIONE,

Apud JOANNEM DELORME, ILLUS. & Exc. PROLEGATI Typographum. 1717.

Superiorum permissu.

DISSERTATIO ACADEMICA.

An variolarum una ſit eademque natura & una eademque ipſarum debeat eſſe curatio.

QUONIAM is tantùm amicus eſt, *ut ait Plautus in epidico,* qui amicum juvat ubi opus eſt, & licet occupatiſſimus amico ſemper debet operam dare, *ex eodem in Mercatore*, ideò ſtadium jam confectum totiès, & à nobis penitùs derelictum, rursùs ingredimur hodiè, ut antiqui amici, & chariſſimi quondam. Condiſcipuli votis reſpondeamus, & quem doctũ jam ab annis plurimis probavimus, doctorem nunc in percelebri hacce palæſtra renunciemus. Quia ve-

rò jam ſatis ſuperque, dum inferiores gradus conſequeretur Laureandus noſter, de Phyſiologicis diſſeruimus, quæ clinicum magis decent hodiè proponamus, morbi naturam, cauſas, ſigna & curandi methodum inveſtigando qui à tot annis in galliâ ſævit atrociter, & cujus in tot auguſta capita ferales ictus, nos ad ipſius æthiologiam & therapeïam intimius explorandam mirum in modum promovere debent. Sedulò igitur quantum ſinent paginarum anguſtiæ, in hac diſſertatiunculâ inveſtigemus, quiſnam fuerit ortus, quænam ſit natura, quæ cauſæ, ſigna, quænam hujuſce affectus curandi methodus, ut his omnibus ritè perpenſis, quæſtioni tandem nobis propoſitæ ſatisfacere poſſimus.

A decantatâ igitur illâ in ſcholis, ab annis inprimis aliquot, de variolarum origine & causâ ipſarum primariâ, quæſtione ducendo exordium, perpenſis priùs aliorum ſententiis, quid in tantâ rerum caligine, & intricatâ adeò materiè, nobis in mentem venerit, conjecturæ loco afferemus. Volunt igitur

antiqui, ſeu potiùs partes ipſorum tuentes, medicinæ principibus incognitum nullatenus fuiſſe hunc affectum, & de illo Hyppocratem, Galenum, Ætium, alioſque non paucos locutos fuiſſe, ad cujus rei probationem, multa prædictorum authorum loca afferunt, & præſertim Hyppocratis, qui 7o. epid. de Tymonacte bimeſtri puero loquitur & alibi de Sileno, ubi præcipua variolarum tum erumpentium tum ſuppurantium ſymptomata deſcripſiſſe videtur, Galeni quoque quem libr. 5°. methodi medendi, cap. 12. variolarum æthiologiam tradidiſſe diceres, Ætii qui libr. 14. cap. 63. de puſtulis puerorum acu perforandis diſſerit, Actuarii libr. 1°. methodi cap. 23. aliorumve, qui licet de variolis ſaltem ſub illo nomine peculiarem mentionem non fecerint, ipſis attamen perfectè cognitum fuiſſe hunc affectum, contendunt, falſamque omninò exiſtimant merumque commentum, aliorum opinionem qui antè Avicennæ tempora morbum hunc non extitiſſe reputant, ac medio tantum duodecimo ſæculo in arabiâ 1°. ſæviiſſe

& ſenſim in alias regiones ſe tranſtuliſſe ipſaſque nunc univerſas affligere ac crudeliter divexare.

Ad hujus porrò ultimæ opinionis probationem afferunt 1°. fautores ipſius antiquorum omnium de graviſſimo adeò morbo ſilentium licet ſedulò plurimos oculorum, cutis & faciei mòrbos deſcripſerint, 2°. loca antiquorum ſuperiùs allata non de variolis, ſed de febribus malignis pethechialibus intelligenda eſſe, 3°. altum pariter apud hiſtoricos Græcos & Latinos, de viris qui foveis à variolis relictis defœdati fuerint, ſilentium, licet alios multò minoris momenti nævos deſcripſerint ut Cicer. Tullii &c. Pictorum pariter omnium & ſtatuariorum conſtans & uniformis agendi modus qui in nullis antiquis monumentis foveas prædictas expreſſerint, ac tandem viatorum omnium teſtimonium aſſerentium hunc affectum antè Europæanorum in novas terras adventum, ibi omninò incognitum, ibique ex tunc frequentiſſimum fuiſſe, maximo ſanè, ſecundum ipſos, dicendi argumento, novum eſſe morbi

genus quod in arabia 1°. ortum duxit, indèque ſeſe longè latèque diffudit. Quo pactò autem morbus ille inceperit ſic ingeniosè exponit clariſſimus vir Antonius Sidobre Monſpelienſis academiæ Doctor, nunc verò apud Pariſienſes Practicus celeberrimus, Condiſcipulus quondam noſter chariſſimus. Vult igitur prælaudatus author, duodecimo circiter ſæculo febrem quandam intensè malignam arabes invaſiſſe, à fermento ita deleterio productam, ut partim percutis ſpiracula eruperit, partim verò ob ipſius fixitatem in ſanguine latuerit, donec à causâ extrinſecâ, ſuſcitatum & ſui juris factum variolas denuò produxerit, ſicque parentes ſenſim in filios hujuſmodi virus traduxerunt; ità ut omnes nationes hæreditario quodam jurè ab arabibus illum accepiſſe exiſtimet prælaudatus Author; ſed quantas & quam graves patiatur hæc hyppotheſis difficultates, cum ipſemet Author agnoverit illis recenſendis ſuperſedebimus, ut aliam hac de re ſententiam breviter perccurramus.

Eſt ſanè viri graviſſimi Martini Liſter,

Doctoris Angli celeberrimi, qui in ſuo de variolis tractatu cauſam ipſarum primariam inquirens, poſtquam ſtabilire conatus eſt, non eſſe repetendam à cauſâ aliquâ extrinſecâ, vel à naturâ hominis per ſe vitiatâ, putat morbum hunc ortum habere potuiſſe à morſu vel eſu venenatæ cujuſdam beſtiolæ, cujus maligna effluvia ſenſim ad poſteros hæreditario veluti jure tranſmiſſa fuere, & cujus veneni peculiaris & ſingularis effectus fuerit tali modo ſanguinem exagitare, ut viam ſibi per corporis ambitam quæſierit, ibique puſtulas produxerit. At quam gratis dicantur hæc omnia ipſe ſubolfecit Author, qui cum præ infirmâ valetudine lecto vel ſaltem domi tunc detineretur, bonâ ipſius veniâ, ſomniando hæc ſcripſiſſe conjici poſſe putamus.

Novuſne igitur erit iſte morbus, an antiquus, & mundo coëvus, & poteritne aſſignari cauſa illa primaria de quâ hactenùs locuti ſumus; quoad primum pro morbi iſtius antiquitate pugnamus, quoad ſecundum verò non aliundè repetendam eſſe cauſam hujuſmodi exiſtimamus,

mamus, quam à portione quadam minus ſubtili ſeminalis materiæ, generationis tempore ovo tranſmiſſæ, quæ cum nec in ſolidarum partium ſubſtantiam faceſſere, nec à fluidis perfectè ſubigi poſſit, in nobis tandiù latitat & ſulphurum ſtaminibus implicata & veluti irretita remanet, donec à causâ occaſionali ſeu extrinſecâ in motum adacta & expedita, tragædias ſuas exicitet modo benignas, modo funeſtas pro majori aut minori ſalium acrium ſalſorum copiâ quibus tunc ſanguis onuſtus reperitur. Probabilior porrò illi videbitur noſtra hyppotheſis qui ſedulò penſitabit ſemen ex ſanguine confectum & ex toto veluti corpore deciduum, ſpiritibus valdè turgidum, maximo impetu ad ovum propulſum, & ad ovarium veriſimiliter viâ circulationis perveniens, ſecum neceſſariò rapere quaſdam particulas non ità perfectè elaboratas ſeu ſubtiles minus, reſpectu auræ illius ſeminalis verè generantis, quæ particulæ in ovo & deïn in nobis ſuperſtites, cum hæterogeneæ ſemper exiſtant, effectus neceſſariò ſupradic-

tos debent producere quoties in motum adigentur & à reliquis principiis expedientur, & hæc eſt cauſa illa primaria, univerſalis quæ nos omnes diro huic affectui reddit obnoxios; pro quâ ſtabimus donec veriſimilior proponatur.

At quorsùm inquiet forsàn aliquis, cauſa modo aſſignata cum una ſit eademque in omnibus, tardè in hoc, citò in alio, in iſto numquam movetur & fermenteſcit, cur ſemel tantum ferè in omnibus, in quibuſdam tamen iterùm recrudeſcit, & cur rarò & benignè antiquitùs, nunc verò frequenter & malignè admodum graſſatur. His omnibus breviter reſpondemus, idem dicendum de fermento varioloſo ac de aliis, & ſicut authorum clariſſimorum, noſtriſque etiam obſervationibus conſtat à cane rabido demorſos non ſtatim ſed modò poſt menſem nunc poſt annum imò poſt 15. & 20. annos ſi Foreſtum audiamus, in hydrophobiam tantum incidiſſe, & quoſdam etiam illam eluſiſſe licet fermentum ut ità dicam rabidum incluſum in ſe haberent, ſic à pari & multò majori adhuc ratione mo-

dò tardè, modò promptè, interdùm numquam moveri poteſt fermentum de quo agimus quia ut plurimùm à causâ extrinſecâ in motum adigi debet, quam ſi vitemus ſedulò, ſopitum per totum vitæ curriculum in nobis ſupereſſe poteſt; adjicimus deïn, ſemel tantùm vulgò unumquemque invadere quia penitùs diſſipatur fermentum illud prima vice, in quibuſdam tamen iterum redire & præſertim in borealibus regionibus, quia tunc ob minus liberam & ferè præpeditam tranſpirationem difficilius avolant fermentiſcibiles illæ moleculæ, & facilèpars ipſarum craſſior remanere poteſt ſuis loco & tempore novas tragædias inductura, ac tandem dicimus variorem & benigniorem antiquitus fuiſſe hunc affectum, quia tunc natura paucis contenta, & homo frugali victus ratione aſſuetus cauſas hujus affectus proximas in ſe nec copioſas adeò nec malignas ità producebat, ac noſtris temporibus, ubi univerſum ferè hominum genus intentum unicè diceres, perverſo vitæ inſtituto quod ſuâ naturâ bonum eſt perverſum reddere

intemperantiâ , illudque præ cæteris ſtudere, ut mortem tetris undique circumvolantem alis accerſat maturetque ſibi,

His in genere prælibatis ad rem noſtram propiùs accedamus & variolarum naturam quantum noſtra feret tenuitas inveſtigemus. Sunt igitur variolæ, morbi cujuſdam epidemici ſpecies, quam vix quiſquam in vitâ declinat, quæ pueros inprimis infeſtat, licet etiam adultos & ſenes, quam vulgò ſemel tantùm contrahimus, licet interdùm bis iterùmve incurramus; apparere autem ſolent variolæ ſub ſpecie puſtularum, varorum magnitudine, *undè ſi mercurialem audiamus, variolarum nomen*, primò rubentium mox intrà dies aliquot albicantium ac ſuppurantium ac tandem in cruſtas abeuntium, nunc foveis in cute relictis, modò nullis cum febre acutâ plurimiſque benignis, aut funeſtis ſymptomatis, pro variolarum genio, ipſarumque prodeundi modo.

Quatuor in hoc morbo notabilia occurrunt tempora, primum eſt fermentationis ſeu germinationis, in quo fer-

mentum illud innatum de quo ſuperiùs loquebamur ſeſe à compedibus ſulphureorum ſtaminum expedire nititur, undè febris, horror, delirium, veternus, tuſſis, plurimaque alia qua ægros infeſtare ſolent ſymptomata, & ad quartum circiter diem extenditur, ſecundum eſt tempus eruptionis, in quo maculæ ſtatim quædam rubræ in cute effloreſcunt quæ ſenſim in puſtulas attolluntur, & ad nonum circiter diem extenditur, tertium eſt tempus ſuppurationis, in quo ſcilicet ſanguis effuſus efferveſcit, & partium ſuarum attritione in pus abit, & ad quartumdecimum circiter exporrigitur. Quartum demùm eſt exſiccationis tempus, dum exhauſto majori ex parte, variolarum quo ſanguis inquinabatur, fermento glandulæ cutis ſubſident, detumeſcunt, omnique ſublatâ compreſſione puſtulæ illæ non ampliùs nutritæ, ſed acri pure potius exſiccatæ decidunt; quæ ſanè diverſa tempora ſedulò advertenda, ad hujus affectus curationem, ut dicemus inferius.

Præter cauſam hujuſce morbi primariam ſuperiùs allatam, duplicem adhuc

agnoſcimus, occaſionalem unam ſeu extrinſecam, quæ in peculiari & certâ quadam conſiſtit aëris diſpoſitione quâ regnante facilè ſopitum & irretitum varioloſum fermentum excitatur & in motum adigitur, & internam aliam & quodammodo proximam ſalino acrem ſalſam nimirum ſanguinis diatheſim quâ præſente facilius à causâ illâ occaſionali motum ſuſcipit ſanguis & fermentum extricatur quod cum quandam cum hujuſcemodi ſalibus analogiam habeat, cum ipſis facilius unitur, & ipſorum vim & actionem adauget, undè fit profectò ut qui ſanguinem tali modo diſpoſitum habeant, morbum hunc facilius incurrant, & qui hunc declinare volunt, non modò aërem purum ſeligant, ſed inſuper animi pathemata, eaque omnia quæ majorem in ſanguinem prædictorum ſalium proventum promovere poſſunt, non minori diligentia fugiant devitentque, ipſorum enim major aut minor copia variolarum differentias conſtituit quarum hic præcipuam brevitatis ergò tantùm afferemus.

Variolæ igitur aliæ ſunt diſcretæ, aliæ confluentes, diſcretæ, ſeu diſtinctæ ſunt illæ, quæ abſque ullo ferè periculo ſua percurrunt tempora quæ ſeparatim & diſtinctæ & quodam veluti inter ſe, relicto ſpatio, quarto die ut plurimum, à primo morbi inſultu erumpere ſolent, in quibus interdùm lenis adeò exiſtit ſanguinis commotio, ut abſque febre procedant, dum in confluentibus è contrà, tumultuario adeò motu ſtatim donatur ſanguis, ut cum febre acutâ, horrores, jactationes, ſyncope motus convulſivi & ſimilia ſtatim appareant, & ut plurimùm antè quartum diem, *ut obſervavit eruditiſſimus Sydenhamius*, cum rubore intenſo ereſypelatem æmulante, confluant variolæ, & acervatim ſeſe prodant cum eo notabili diſcrimine, ut ſimul ac erumpunt diſcretæ, minuantur ſymptomata, augeantur verò in confluentium eruptione, ob fermenti varioloſi copiam aut malignitatem, & majorem aut minorem ſalium prædictorum in nobis copiam, undè profectò ſymptomatum omnium variolas comitantium explica-

tio facilè deduci poteſt, & quibus exponendis ob paginarum anguſtiam ſuperſedimus.

Hujus affectus diagnoſis ſatis ſuperque evidens eſt, ſolâ puſtularum eruptione, ſed antè illud tempus, fermentationis nimirùm ſeu germinationis temporè, difficiliùs multò innoteſcit, cum plerumque eadem quæ illud tempus præcedere ſolent ſymptomata, morborum aliorum prænuncia eſſe poſſint, febris ſcilicet, laſſitudo, ſpaſmus, veternus, horror, capitis dolor, delirium, ſternutatio, ophtalmia cæteraque non pauca; quæ morbi alterius ſicut variolarum ſoboles eſſe poſſunt; quare attendat tunc Medicus opportet utrum varioloſa adſit in aëre conſtitutio, tuncque, quibuſdam ex ſuprememoratis ſymptomatis apparentibus, variolas ſuſpicetur, talique modo ſe gerat, ut nihil huic morbo infenſum, nihil ipſarum germinationi & eruptioni contrarium præſcribat.

Prognoſis pariter facili negotio inſtituetur attentâ variolarum naturâ & ſymptomatis ipſas ſtipantibus, ſi enim

diſcretæ

discretæ sint & interstinctæ; cum mitiora sint in tali casu omnia tunc nil mali ominandum, si verò confluant tunc ob magnam massæ sanguineæ agitationem & tumultuarium principiorum ipsius motum, non modò periculi non expertem, sed periculosum valdè morbum hunc existimamus, si enim fœliciter evadat æger, plurimis saltem affici solet incommodis & præsertim deformitate quæ illum ad extremum usque vitæ terminum comitantur.

Cum igitur, morborum tantum naturam & causas investigare debet Medicus ut illis cognitis, ad curationem facilius & tutius procedat quid de hac ultimâ & præcipuâ dissertationis nostræ parte dicendum superest paucis expediamus, ut quæstioni tandem nobis propositæ faciamus satis; quoniam verò ex supradictis hactenus constat variolarum non unam esse eamdemque naturam, & pro majori aut minori quantitate salium salsorum acrium in nobis luxuriantium, vel diverso ipsorum motu, pro diversâ aëris constitutione, magis aut minus benignâ, variâque insu-

per ſubjecti diſpoſitione, licet ab eadem causâ primariâ remotâ & omnibus communi pendeant variolæ, inter ſe tamen valdè differre; debemus pariter dicere non unam eamdemque eſſe debere in omnibus curationem; præmiſſis igitur quid in quatuor ſuperius memoratis variolarum temporibus agere debeat Medicus, quid in diverſæ naturæ variolis pariter ſuſcipere debeat, adjicemus & 1°. quidem in hujus morbi principio dum ſcilicet varioloſum illud germen nobis innatum ſeſe à ſulphureis ſtaminibus extricare nititur quod fermentationis ſeu germinationis tempus nuncupatur, cum ex ſupra dictis, adſit febris, dolor capitis, ſitis, laſſitudo, plurimaque alia quæ febres ſtipantur ſymptomata & ob majorem ſanguinis rareſcentiam cujuſdam extravaſationis periculum adſit, tunc vena ſecanda ſemel ac iterùm ſi opus ſit & perſeverent ſymptomata, omni prorsùs metu ſemoto, tantum enim abeſt ut variolarum eruptioni obſit, quin imò prodeſſe plurimum hanc evacuationem ratio & experientia demonſtrant; refri-

gerantibus pariter tunc temporis & hypnoticis utendum, quidquid garriant mulierculæ & empyrici, cum enim dum ob majorem ſeu rapidiorem quo humores per vaſa feruntur motum, nulla fieri poſſit ſecretio, un docet rationalis anatomes, quorsùm non minuendus erit aut compeſcendus, in hujus ſicut reliquorum morborum, principio, dum ſcilicet ob vehementiorem quo ſanguis donatur motum, nullæ fiunt ſecretiones & præfata ſymptomata ſoboleſcunt; non omittendi etiam clyſteres, imò & purgantia ac emetica ſi indicentur, ſæpè enim in praxi vidimus poſt hujuſmodi evacuationes, multò feliciorem variolarum exitum, & cum bonis omninò ægri rebus, quod ex morbi præludiis ſperandum non erat. Eruptionis tempore conſulenda eſt natura, ipſique totum committendum negotium ſi rectè operetur & puſtulæ facilè erumpant, ſi interim vehementia tunc appareant ſymptomata, ut potè inflammatio, delirium & ſimilia, tunc etiam celebranda V. S. imò & purgatio ſi cacochymia adſit certum

enim eſt quod erupturæ materiæ morbificæ impedimento ſunt impura miaſmata quibus corpus noſtrum coïnquinatur, & illis vacuatis aut deſtructis longe meliùs ſe habere; ſi autem rectè erumpant variolæ, & ob minorem quo ſanguis donatur motum, lentè procedat talis excretio, tunc cardiacis adjuvari poterit, incipiendo à lenioribus, & in parva doſi, quod exactè cavendum his in regionibus, in quibus ob nitri in aëre dominium ad excandeſcentiam diſponuntur humores, & phlogoſim facilè ſuſcipiunt. Suppurationis & exſiccationis tempore non abſimili modo agendum, ſi fatiſcat motus ſanguinis, cardiacis inſtaurandus, ſi vires conſtent ipſis abſtinendum, & ſolâ convenienti diœtâ utendum, donec cruſtæ ſeu ſquammæ decidant aut ſaltem penitùs areſcant, tunc enim præmiſſo priùs leni cathartico, ut quidquid fœculentum & noxium in vaſis aut primis viis collectum fuerit, eliminetur, ſolidiori diœtâ utendum & ad conſueta alimenta ſenſim deveniendum ſi autem his peractis quædam re-

maneret febris quæ humorum æſtum & ſalium dominium indicaret, tunc lac primò aſininum uſurpandum ut diluantur ſalia, deïn vaccinum, ut quod aquoſarum prædicti lactis partium actionem eluſerit, ramoſis vaccini lactis partibus intricetur, ſicque ſanguini priſtina diatheſis reſtituatur. Si cum mulieribus agatur, aut viris mores ipſarum redolentibus, non negligenda pomata quæ faciei inprimis maculas delere poſſint, quarum non deſunt apud authores formulæ è quibus cauſtica omnia excludenda; & præ cæteris oleum vitell. ovor. in ipſarum confectione adhibendum. Si verò contigerit, ut iis omnibus peractis, dolores vagi, vel fluxiones pertinaces appareant, tunc identidem purgandus æger, & abſorbentibus, lenientibus, demulcentibus aliiſque utendum donec hujuſce materiæ ferocia domita fuerit & hæc omnia evanuerint, quod victus ratione & longo remediorum uſu tantùm, fieri poſſe experientia demonſtrat.

Cum autem ex dictis hactenùs facilè quiſque poſſit intelligere non modò quid

in quatuor præcipuis variolarum temporibus ſuſcipiendum, ſed etiam quid in diverſæ naturæ variolis pariter agendum incumbat, antequam huic noſtræ diſſertationi finem imponamus, coronidis loco generalia quædam adjiciemus, quæ in hoc affectu curando tyronibus inutilia non fore putamus.

Et 1°. quidem ſtabiliri debet primitus & ante omnia variolarum natura, antequam quidquam de therapeïa pronuncietur, ſi benignæ ſint & diſcretæ parùm & in principio tantùm, germinationis tempore peragendum, ut enim naturam malè operantem adjuvare debet Medicus, impedimenta omnia rectam ipſius agendi rationem interturbantia, removendo, ita ipſam rectè operantem contemplari debet, & conſequenter germinationis tempore præmiſsâ V. S. ſi adſit plethora, vel purgatione ſi cacochymia, & ſedato nimio humorum æſtu, ſi appareat, reliquum naturæ benè operanti committendum, ſi vero malignæ ſint variolæ, confluentes, & diris ſtipatæ ſymptomatis tunc innumera molienda veniunt, pro

ſymptomatum diverſitate & diverſo variolarum genio, id unum ſemper advertendo, ut humorum ad corporis peripheriam motus adjuvetur, quod fieri debet modo refrigerantibus, ſi nimius ſit ille motus, modò evacuantibus, ſi ab impurâ colluvie irretitæ reperiantur partes volatiles & ſpirituoſæ tali motui producendo omninò neceſſariæ, nunc cardiacis & volatilibus ſi fatiſcat ſãguinis motus, & fixioribus ſalibus ac ſulphuribus ſcateat ſanguis, nunc hypnoticis, ſi vigiliæ immodicæ ægrum excrucient; nunc abſorbentibus ſi materiis acidis primæ viæ infarciantur, verbo dicam, ſunt interdum variolæ quæ intrà paucos dies, innumera ſibi primo intuitu contraria, expoſtulant medicamenta, quæ ut ritè & appoſitè exhibeantur, conſummatum in praxi expoſcunt Medicum; & quæ nos meritò inducunt ut concludamus.

Non unam eamdemque eſſe variolarum naturam nec conſequenter unam eamdemque eſſe debere ipſarum curationem.